

non fuit; ergo nec imperium ecclesie donare^{k)} potuit. Unde dicit Innocentius quartus in epistola ad Petrum de Vineis advocatum Federici ultimi⁹⁾: 'Constantinus magnus non dedit ecclesie imperium, sed factus verus christianus imperio cessit recognoscens se ipsum imperium debere tenere^{l)} ab ecclesia.' Petrus de Palude¹⁰⁾: Papa retentis regno Sicilie pluribusque aliis terris sibi necessariis reliqua Constantino imperatori reddidit gubernanda. Ex tunc Constantinus fuit verus imperator factus per papam^{m)}. Signum¹¹⁾ autem subiectionis manifestum imperii ad papam est, quod cum pede summi pontificis coronatur¹¹⁾. Cuius pedes pedibus Christi succedunt, cui subiecit omnia pater¹²⁾, ut supradictum est capitulo LXI.

cap. 109 Ubi probatur per rationes naturales quod papa est dominus temporalis¹⁾.

Nunc restat probandum per rationes naturales, quod papa romanus est dominus temporalis et spiritualis, quod beatus Thomas de Aquino in Tractatu de regimine principum²⁾ sic declarat per talem rationem: Omnis ars sive potestas, ad quam pertinet cura de ultimo fine, imperat omnibus artibus sive potestatibus, que habent operari illa, que pertinent ad ultimum finem. Verbi gratia ars militaris ad quam pertinet pugnare imperat fabro, qualia fabricet arma que pugne convenient; et gubernator navis ad quem pertinet gubernatio navis imperat fabro lignario, qualem navem aptam fatiat que gubernationi conveniat. Sed³⁾ ad summum pontificem pertinet cura ultimi finis qui est fruitio divina; ergo ad ipsum pertinet imperare et precipere imperatori et cuicumque alteri principi, quales faciat cives virtuosos virtute morali in ordine ad felicitatem futuram⁴⁾. Ex quo apparet quod imperator et omnes reges mundi sunt pape subiecti et ipsi obedire tenentur sicut domino Yesu Christo. Preterea: eadem⁴⁾ est habitudo potestatis secularis ad potestatem spiritualem, ut dicit beatus Thomas in secunda secunde q. 61. a. 6.^{a)}⁵⁾, que est corporis ad animam; sed anima principatur corpori dominio despotico id est totali, ut habetur in primo Politie⁶⁾, sicut dominus super servum, qui non habet dominium sui actus; ergo papa qui est dominus animarum, dominabitur imperatori qui est dominus tantum corporum^{b)}. Unde Mathei x.⁷⁾ dicitur: 'Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero occidere non possunt'⁴⁾. Preterea: eadem est comparatio potestatis imperatoris ad potestatem pape,

k) non add. B l) tenere debere tr. W m) a papa W

⁹⁾ Vgl. Petrus de Palude, Tract. 225, 34 ff. (nach Eger cui lenia, ed. Herde, DA 23, S. 521 f.) und Tholomeus von Lucca, DC 50, 10 ff.

¹⁰⁾ Vgl. GA cap. 106 Anm. 8. ¹¹⁾ Signum — coronatur vgl. Petrus de Palude, Tract. 260, 24 f. Die Fußkrönung wird von Galv. häufig erwähnt: GA cap. 203, 204 f. 52^v und 233; CM cap. 353, 570 und 629 f. 172^v; vgl. ferner Petrus de Palude, Tract. 152, 14 und R. Elze, Die „Eiserne Krone“ (s. o. Anm. 56), S. 473. ¹²⁾ Vgl. Heb. 2, 8.

cap. 109 a) a. 66 W b) corporum tantum tr. W

¹⁾ Für den Anfang des Kapitels vgl. CM cap. 350. ²⁾ De reg. pr. 1, 14 S. 18. ³⁾ Sed — futuram vgl. Petrus de Palude, Tract. de pot. papae 204, 33—205, 8. ⁴⁾ eadem — possunt vgl. Johannes Regina von Neapel, Quaestio 39 S. 336 bB—C. ⁵⁾ Summa theol., IIa IIae q. 60 a. 6 ad 3. ⁶⁾ Vgl. Thomas von Aquin, In libros polit. Aristotelis exp. 1, 3; ferner Guido Vernani, De pot. summi pont. cap. 1 S. 52 und Aegidius Romanus, De eccl. pot. 2, 4 S. 50. ⁷⁾ Mt. 10, 28.